

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm  
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

XXXVI. Nihil esse fortius Rege.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

forti & præclaro munere Dei utantur, ne à tam  
potente hoste incauti opprimantur.

**XXXVI. NIHIL ESSE FORTI-**  
*us Rege.*

**I**N EXORDIO benevolentiam captabis à persona Au-  
ditorum, quod vini Encomia sten summa cum at-  
tentione & silentio audierint. & orabis ut idem ti-  
bi præstare velint, ut non vinum, sed aliud quid,  
res omnes viribus & potentia superate intelligent.

**PROPOSITIO :** Te enim planissimis rationibus  
ostensurum, & vini Encomia sten plurimum à ve-  
ro aberrasse, seu invictam veritatem plusquam  
plumbeis pugionibus jugulare voluisse, & Regem  
potentia res omnes superare.

*In CONFUTATIONE refutabis PRIMÒ rationem  
primam adversarii ab absurdo, seu in commodo conse-  
quenti, quod si ab ipso Creatore colligatur vis cre-  
aturæ, eadem vi omnia pollebunt, quæ ab eodem  
creata sunt, & tantum aqua poterit, quantum vi-  
num. SECUNDÒ, Contradicторia oppositione seu infi-  
catione: non enim mentem hominis extinguit vi-  
num, alias enim rursum à se accendi non posset, &  
à contrario effectu, quod accendat animos, unde qui  
sobrii tacent, vino ad dicendum inflammantur.  
Hinc senum animi, ætate jam debilitati, vino fo-  
ventur, quare lac senum à quibusdam appellatur.  
Paucissimi sunt, qui eo obruuntur, illi duntaxat,  
qui imbecillioris sunt cerebri, quod vini vaporis  
bus facile læditur: deinde non tam vino, quam  
eius copia homines obruuntur. Quod Clitum  
ebrius Alexander interfecit, non tam ebrietatis,  
quæ præcipitis iræ factum est. Clitus enim con-  
vitiis Alexandrum appetebat. Reliqua perse intel-  
ligi, & ex dictis refutari, tuamque tibi partem esse  
confirmandam dices.*

**CONFIRM. I. LOCUS,** à causa efficiente Regie po-  
tentie,

gentia, quod Regem Rex ille Regum & Dominus dominantium potentia strictoq; gladio armavit, quo insontes defendat, & rebelles compescat. Per <sup>Prov. 8.</sup> me, inquit, Reges regnant, & Principes justa decernunt.

Persæ certè olim aliquid cælestis atque divinum in regibus inesse statuebant, & ideo enixe operam dabant, ne quid in eorum forma & specie deforme & indecorum appareret. Si quid igitur in Regum filiis erat pravum atque distortum, dabatur ea cura certis mulieribus, quæ dum corpora erant tenera, & emendari poterant, ea quodammodo fingerent, & ad rectitudinem sensim atq; leniter revocarent: indignum enim censebant Regis nomen, apud illos sanctissimum, aliqua corporis insigni pravitate deformari. Hinc etiam Æthiopes olim, qui supra Ægyptum habitabant, eum Regem eligebant, qui omnibus proceritate corporis anteret. Jus enim esse statuebant, ut is tantum omnes dignitate vinceret, quem natura, specie, & magnitudine præcellentem finxisset. Cum autem animi magnitudinem intueri non possent, ad corporis magnitudinem oculos referebant. Nec Spartani ab hac Æthiopum opinionem nimis abhorrebat. Cum enim Archidamus illorum Rex uxorem pusillam duxisset, eum grandi pecunia multarunt, quod illam mulierem sibi matrimonio copulasset, quam sperare poterat filios statura pusillos esse paritaram. Indignum enim Spartano imperio judicabant, eum Regem habere, qui non corporis etiam magnitudine nomen Regium tueretur. Omnes hi populi Reges suos quasi Deos colebant, ac majestatem quasi tutelam esse Reip. credebant. Homerus & Isocrates ideo regnandi munus divinitus institutum esse censerunt, ut similitudo quædam Divinæ Majestatis in solis regnancibus cerneretur. Atque hinc est, quod omnes

omnes Regem intuentur, & mores quisq; suos ilius exemplo & imitationi conformat.

II. A subjecto, circa quod Regia potestas versatur: hominem enim nobilissimam creaturam, Regi subiectum esse S. litteræ & probant, & imperant.

*Claud.  
Regis ad e-  
xemplum  
&c. Mobi-  
le mutatur  
sempor  
Principe  
vulgus.*

III. ab effectus Regis. Nam PRIMÒ, Rex omnes suos effectus in populum transfundit & ad eius exemplum tota se multitudo componit. Rectè igitur Græci Regem populi basis appellant: βασιλεὺς enim dicitur à basi, id est, fundamento, & λαός, hoc est, populo, quod populi pondus, tanquam firma basis, sustineat. Rex est, qui virtutes benignissime fovet, vitia severissimè punit. Rex est, qui populū in vero Dei cultu honestaq; disciplina conservat. Rex est, qui querimoniis subditorum succurrit,

*Prov. 10.  
Rex in so-  
lio, &c.* publicam tranquillitatem, & pacem defendit. Rex est qui in aula, tanquā in specula, sedens, subditos in officio cōtinet. Rex est, qui terras antea ignotas & abstrusas, aliosque terrarum orbes penetrat, & potentissima regna ad fidem Christi convertit. Atque, ut antiqua exempla non attingam, nonne Christianissimi & invictissimi Lusitaniae Reges Orientis oras & dirissimam Indiam & suis, & maximorum Regum præsidiis opibusq; munitam vicerunt, & in suam potestatem redegerunt, atque Crucis trophyæ in Regionibus immenso spatio à Lusitania distantibus, e potentissimorum hostium fauicibus ereptis collocarunt.

IV. à destinatis Regia potentia, satellitibus, aliisque infinitis ministris, à militaribus copiis & ducib⁹, quos suo imperio obsequentes habet. Hic collatio instituatur cum vino, quod istorum nihil habeat, quod Rex universos sibi subjugare possit, vinum paucissimos; Rex in perpetuum, vinum ad exiguum tempus, si quos fortè sua copia obruat; quod denique vinum imbecilles duntaxat constringat, Rex verò potentissimos.

In

In EPILOGO hortaberis Auditores, ut cùm Rex Regum, Deus, tanta fortitudine & potentia armaverit Regem, debitam ipsi obedientiam promissimè præstent.

*Nihil esse fortius MULIERE, docabitur integra Oratione in fine libri.*

### XXXVII. NIHIL ESSE FORTIUS Veritate.

**E**XORDIUM ab Auditorum persona, & ipsa re, quòd cùm placido vultu, arrectis auribus, & attentis animis summam benevolentiam in eos, qui ante te dixerunt, declararint, rogare te idem tibi, quòd nunc demum audituri sint id, quod res omnes alias potentia longè superat.

**PROPOSITIO:** Quòd quanquam magnæ sint vires generosi viri, magna potentia Regū, multæ non tam laudes, quam fraudes mulierum, te tamen probaturum hæc omnia jure optimo veritatis fortitudini semper fasces submisissæ.

**CONFIRM.** I. Locus, ab effectu, quod veritas omni tempore omnes etiam potentissimos suos hostes fortiter prostraverit. Malleus ille universæ terræ, & pater mendacii dæmonarches eò semper omnes conatus direxit, ut veritatis lumen extingueret. Sed revera oleum & operam, quod ajunt, perdidit. Frustra eam oppugnavit per Judæos, frustra per Paganos, frustra per Hæreticos, frustra per infinita genera persecutionum. Ut enim aquæ Diluvii Palatia Regum obruebant atque dejiciebant, Arcam vero Noë semper magis ac magis attollevant: ita persecutiones regna mendacii facile destruunt. Veritatis vero regnum non modo non destruunt sed etiam illustrant. Refert Theodorus 76: Hæreses, usque ad sua tempora exortas, veritatem oppugnasse, omnes vero illas, paucissimis exceptis, fuisse extinctas. Augustinus numerat 88.

Hære-